





PAZ 23. LUN. 3d

2

1775, 1

111  
DE  
**CIVITATIBVS MEDIATIS  
IVRA STATVVM  
IMMEDIATORVM  
VSVRPANTIBVS**

PROLVSIO HISTORICA  
QVA  
AD AVDIENDAS ORATIONES  
ALVMNORVM PRINCIPALIVM  
IO. EISSENBERG ARCHFELDA-HASSI  
IO. GE. SCHWARZENBERG CASSELLIS-HASSI  
CAR. GVIL. BIPPART NESSELRODA-HASSI

IVSTI TILL MORSCHA-HASSI  
DIE V. OCTOBR. HORA X.  
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO  
HABENDAS

ACADEMIAE MAGISTRATVS, PROCERES,  
AC CIVES  
DEMISSE ATQVE HUMANITER INVITAT

**MICHAEL. CONRAD. CVRTIUS**  
SERENISS. HASS. LANDGR. A CONSIL.  
HISTOR. ELOQV. ET POES. PROF. ORD.

MARBURGI  
TYPIS MELLERIANIS.



de

CIVITATIBVS MEDIALIS

LATERA STADIA VNI

IMMEDIATEKUM

ALBIRENTIBVS

HERZOG HISTORICVS

ALBIRENTIBVS ORATIONES

ALBIRENTIBVS PRINCIPES

ALBIRENTIBVS MUSICOGRAPHI

ALBIRENTIBVS CHURCHES-PEOPLES

ALBIRENTIBVS HERALD-PEOPLES

ALBIRENTIBVS COUNCILS-PEOPLES



Iura sublimia seu Regalia Principum nunc maiestati propria, olim vero a ciuitatibus vrbibusue Germaniae identidem usurpata, recensuit ac digessit eruditio ne solita seu summa Perillusris D.A.V. G.E. STRUBEN (\*). Spicilegium tamen post messem videtur relictum, quandoquidem iura nonnulla a ciuitatibus Germanicis et olim et nunc sibi vindicata omisit Vir summus.

Anceps et in vtramque partem disputabilis est quaestio, habueritne olim vrbes Germania magna, nec ne. TACITVS (\*\*) nullas Germanorum populis vrbes habitari auctor est. IVLIVS CAESAR autem oppidorum Germanicorum meminit (\*\*\*) . Quid? quod PTOLEMAEVS nonaginta quatuor πόλεις Germaniae

A 2

recenset

(\*) Nebenstunden P. I. p. 495. sq.

(\*\*) de moribus Germanorum c. 16,

(\*\*\*) de bello Gallico Lib. IV. c. 19. VI. 10.

recenser, earumque definit situs (\*). Haud difficiles, me quidem iudice, controuersia isthaec habet explicatus. Romanae vrbes ab *vrbo*, seu curuatura aratri, dictae: quod, circumducto prius aratro, fossa ac muro muniebantur. Id nimirum Germanorum oppidis deficit, quandoquidem ipsi muros, tanquam pessulos libertati obditos, auersabantur, et ut circumdata retibus lustra declinabant (\*\*). Tenchteri adeo postularunt (\*\*\*) , ut Vbii muros coloniae monumenta servitii detrahant. Oppida igitur Germani habuerunt muris carentia aut Burgos, hoc nomine enim crebra habitacula constituta veniunt apud ISIDORVM (\*\*\*\*) et OROSIYM (\*\*\*\*\*). Habuerunt isthaec oppida suos Praefectos, in conciliis Germanorum enim Principes eligebantur, qui ius per vicos reddebat: his additi comites, *consilium atque auctoritas*, (\*\*\*\*\* ) ita ut iam tum in oppidis seu vicis Germanorum effigies quaedam et umbra quasi Senatus ciuici appareat. Num vero oppida illa Germanica commune quoddam seu rem publicam parvam constituerint, difficillima explicatu est quaestio: placet tamen sententia negativa, ut pote ingenio Germanorum istius aevi accommodatior.

In Germania Rhenana fuerunt vrbes, municipia, et coloniae Romanae, ex quibus Moguntiacum, Spiram, Vormatiam, Argentoratum, Coloniam Agrippinam

(\*) Geograph. Lib. II. c. II.

(\*\*) Armian, Maraell. Lib. XVI. c. 3.

(\*\*\*) Tacitus Histor. Lib. IV.

(\*\*\*\*) Libr. IX. c. 2.

(\*\*\*\*\*) Libr. VII. c. 22.

(\*\*\*\*\* ) Tacitus de morib. Germ. c.

nam, Augustam Treuirorum nominasse sufficit. Haec Coloniae et municipia commune quoddam constituerunt, possidebant possessiones publicas et iura. Regebantur a Decurionibus: ex his Duumiri eligebantur, qui nonnunquam imitatione romane reipublicae et civitatis Consules vocati sunt (\*). Occurrat enim ordo Decurionum Diuodurensium (\*\*) et TACITVS centum et tredecim Senatorum apud Treuirentes mentionem facit (\*\*\*)�.

Postquam in potestatem Francorum concedere adacta fuerat Germania vniuersa, auctisque in immensum viribus Regum, auctoritas eorum creuerat, modum fere egreſſa, Reges vrbibus imposuerunt Iudices et Comites, ac cuncta vrbium tributa sibi deferriri iusserunt (\*\*\*\*). Necessario igitur tum vrbium politia vel quasi autonomia interiit, quae nonnisi corrogata a ciibus pecunia stare potest, quam vniuersam sui iuris tum fecit Regis arbitrium. Superfuerunt tamen vrbes in regno Francico, quae veterem formam a Romanis traditam sub Regibus Francicis retinuerunt. Sub CHILDERICO enim anno 101XXXVII. iudicabat senatus in ciuitate Vienna residens (\*\*\*\*\*). Mansit igitur in nonnullis saltet vrbibus forma a Romanis introducta. Haec nimirum libertas Romana fuit, qua OTTO M. vrbes a se conditas frui voluit. ODELO enim inquit (\*\*\*\*\*);

A 3

Ante

(\*) Schoepflii Alsatia illustr. T. I. p. 314.

(\*\*) Otto de aedibus Colon. et Municip. p. 66.

(\*\*\*) Hittor. Lib. V. c. XI X.

(\*\*\*\*) Gregor. Turon. Hist. Franc. Lib. VI. c. 22.

(\*\*\*\*\*) Du Fresne Glossar. voce Senator.

(\*\*\*\*\*\*) Vita Adelhaidis c. 7. in Leibnit. Scriptor. rer. Brunsvic. T. I. p. 265.

„ Ante duodecimum circiter obitus sui annum (Otto  
 „ M.) in loco, qui dicitur Salsa, urbem decreuit fieri  
 „ sub libertate Romana, quem affectum postea ad per-  
 „ fectum perduxit effectum „. Qualem huius liberta-  
 tis ideam sibi informauerit OTTO, docet SIGONIUS,  
 „ sagacissimus aevi veteris indagator (\*) Regni ciuita-  
 „ tes plerasque liberas, tributarias omnes reliquit —  
 „ Imperator OTTO ciuitatum libertatem in eo fere po-  
 „ suit, ut leges, consuetudines, iuri dictioinem, magi-  
 „ stratus, vectigalia sui ferme iuris atque arbitrii habe-  
 „ rent. — Quos vero populi ad regendam ciuitatem  
 „ et iura moderanda post hac crearunt, illi consules  
 „ duo aut plures fuerunt, ex antiqua Romanae reipu-  
 „ blicae consuetudine sumti. OTTO in Italia atque ur-  
 be Roma formam ciuitatis Romanae proprius intulit e-  
 rat: ut Longobardici regni huius ita pridem expugna-  
 ti vrbes atque oppida sibi deuincret arctius, veterem  
 formam a Romana republica ad vrbes Italicas vel post-  
 liminio transtulit, vel inuentam confirmavit. MVRA-  
 TORIO, viro summo, Longobardi quidem veterem  
 politiam atque autonomiam vrbiit italicarum penitus  
 sustulisse videntur (\*\*). Verum enim vero contrari-  
 um patescit ex OTTONE FRISINGENSI luculento  
 „ scriptore (\*\*\*) ; in ciuitatum institutione ac reipu-  
 „ blicae conseruatione antiquorum Romanorum soler-  
 „ tiam ita imitati Longobardi sunt, ut imperii insolenti-  
 „ am fugientes Consulum potius quam potestatum re-  
 „ gi voluerint arbitrio. „

Haec

(\*) de Regno Italiae L. XVII. ad a. 973.

(\*\*) Antiqu. Ital. T. I. diss. XVIII. p. 983.

(\*\*\*) Lib. II. c. 13.

Haec Romae, Italicarum et forraſte quarundam  
civitatum Transrhenanarum forma obuerſabatur OTTO-  
NI, quum in Germania Cisrhenana vrbem sub liberta-  
te Romana conſtitueret. Placuit politiae municipalis,  
et autonomiae species qualisunque ceteris Germaniae  
vrbibus, mox exemplo Italarum vrbium motae magi-  
ſtratus ſibi elegerunt. Successu temporis vrbes rega-  
les et perfectoriae enatae ſunt. Regales TREVERO  
(\*) videntur, quae Senatui paruerunt, et libertate Ro-  
mana gavilae ſunt. Anhelantibus ut plurimum maiora  
hominum animis, vrbes praefectoriae, quae Ducibus  
ſubfuerunt, ad formam civitatum regalium ſenſim com-  
poſitae ſunt. Comites enim vel Aduocati, qui iuri di-  
cendo praerant, haud ſoli hoc munere fungebantur,  
ſed Scabini seu Aſſeffores ex ciuibus ſeu incolis vrbis,  
quae Comiti ſeu Aduocato ſedes obtigerat, a miſſis re-  
giis totius populi conſenſu deligebantur, qui cum Co-  
mite exercebant iudicia; quid? quod eorum confilia  
ſequi et ex eorum decreto ſententiam ferre iudex iube-  
batur. Magnae auctoritatis iſti fuere Scabini adeo ut  
cum Episcopis vel Comitibus comitiis intereffent et le-  
ges publicas ſubſcriberent (\*\*). Ex hiſ Scabiniſ ſeu  
Aſſefforibus in plurimis ciuitatibus enatus eſt Senatus  
ciuicus, qui ſenſim totius ciuitatis curam ſibi vindica-  
uit, et ex tenui initio ad eadem adſpirauit iura, qui-  
bus vrbes ſub libertate Romana conſtitutaſ truebantur.  
» ALEXANDER IV. P. M. In regno Franciae, inquit,  
» (quo nomine olim Germania quoque veniebat) Com-  
muniae

(\*) Logomachia de ciuitatibus mixtis p. 14.

(\*\*) de immunitate Eccl. c. I alleg. Alteſerra de Dacibus  
et Comitibus Gathiae p. 294.

ss

„muniae Scabini seu Consules iurisdictionem in ipsis  
„communiis, ciuitatibus, castris et villis temporalem  
„exercent. Non facile vero Epocham regiminis ciui-  
ci determinaueris, qua praesentem formam induerunt  
vrbes. Vix ante tempora Sueuicorum Imperatorum  
ex Italia per omnem Germaniam se disseminasse vide-  
tur. Sub his autem magistrorum ciuium et consulum  
in vrbibus Germaniae fit mentio (\*). Auctis commer-  
ciorum flore diuitiis vrbium, imminutis per tot regi-  
onum diuisiones, Principum viribus, et decrescente  
in dies magis magisque potentia, quaevis fere ciuitas  
magno spiritus sumvit, Principis ac Domini sui exuta  
paene reuerentia reipublicae nulli penitus obnoxiae af-  
fectauit formam. Tum igitur arrogarunt sibi iura sum-  
mae tantum debita potestati. Quid? quod mutato in  
vniuersum Germaniae statu, iauetis Principum, pes-  
fundatis vrbium facultatibus, non desunt vrbes, quas  
municipalium nomine a ciuitatibus imperialibus liberis  
distinguimus, in quibus vestigia veteris auctoritatis ap-  
parent.

*Vindicabant sibi vrbes municipales haud paucae mu-  
nitionem ac custodiam vrbis ac portarum, potestatem cla-  
vium, ius denique praeisdii. Controuerteris id peperit  
innumerabiles. Treuirenses enim, Wurzburgenses,  
Hannoverani, Bambergenses, Halberstadenses, Ful-  
denses, Emdenses, Monasterienses cum Principibus  
Dominisque suis ingentia certamina hanc ob rem ha-  
buerant, subinde in apertum bellum erumpentia (\*\*).*

Vrbes

(\*) Handij Metropol. Salisb. T. I. p. 175. Auctor  
Chronici Slavici c. 37. apud Lindenbergium.

(\*\*) Struben Nebenstunden P. I. p. 525. sq. P. V. p. 363. 385.

Vrbes potentiores eo impudentiae progressae sunt, vt  
 Principes ac Dominos suos vrbis aditu arcerent. Dum  
 Princeps Mecklenburgicus anno 1550. connubia  
 Vismariae celebraturus erat, vrbis libertati suae a mul-  
 titudine eo confluentium forte timens, Principem su-  
 um cum sponsa exclusit. Stralsundenses Ducem Po-  
 meraniae anno 1544 VIII. captiuum abripuerunt (\*):  
 vt alia exempla passim obuia taceam. In ordinem qui-  
 dem redactae sunt ciuitates vi armorum: decretis Im-  
 peratorum munitionis cura, custodia portarum, po-  
 testas clauium tradita Principibus (\*\*): sunt tamen vr-  
 bes, quae usurpatam olim potestatem diu retinuerunt;  
 sunt quae etiamnum retinent. Bello tricennali ius praef-  
 sidii amiserunt Luneburgum, Hannouera, Stralsunda,  
 Gottinga, Eimbecca, Vismaria. Rostochium vero hoc  
 demum saeculo anno 1582. Duci Mecklenburgico  
**FRIDERICO GUILIELMO** permisit, vt praefidium  
 vrbis imponeret: ita tamen vt vrbis suis sumtibus praef-  
 terea legeret alereturque triginta milites sub Locutenen-  
 te, qui mixti cum praefidio Duci excubias vigiliasque  
 obibant (\*\*\*)**. CHRISTIANO LUDOVICO** fasces  
 capesciente anno 1598 paetum initum est, quo  
 ius praefidii Duci, compraevidium ciuitati permittitur,  
 ita vt vrbis quinquaginta milites alere liceat. Praefidia-  
 rii milites a Duce impositi cum Praefecto suo magistra-  
 tui vrbis sacramentum diunt, et ciuici milites Duci.  
*Hildesia* non minus praefidium trium manipolorum fu-

B

is

(\*) Frank Altes und Neues Mecklenburg P. IX. p. 204.  
 P. VIII. p. 99.

(\*\*) Struben l. c.

(\*\*\*) Frank l. c. Lib. XVI. p. 127.

is potissimum sumtibus conductit et alit. *Luneburgum* denique milites alit, parvo-licer numero, qui portam urbis, ad salinas ducentem custodiunt: Claves portarum hodieum in urbibus nonnullis a Consulibus asservantur: ingruente igitur nocte a Praefecto praesidii in domum Consulatis mittuntur, indeque matutino tempore repetuntur. Fieri id solet Luneburgi, Rostochii, Stralsundae, licer haec urbs firmissimo praesidio munita, sedesque Proregis Pomeraniae sit.

*Vrbes mediatae nonnullae ad Comitia Imperii vocatae, et iusliae sunt tributa pendere, communi nomine Germaniae imposita.* In *Matricula Imperii Norimbergensis* anno ccccxxxix. occurunt Rostochium, Vismaria, Greifswalda, Gottinga, Straßunda, Paderborna, Magdeburgum, Luneburgum, Brunsuiga, ut alias taceam, et quantum quaevis bello Hussitico impenderet, aequum cum Principibus et ciuitatibus Imperii forte, urbibus municipalibus edicitur (\*). *Matricula Imperii*, quae anno cccclxxvii. auxiliorum contra Turcos modum praescripta, conscribendos et alendos irrogauit

Hildesiae	viginti equites	quinquaginta pedites	
Brunsuigae	20	40	—
Gottingae	15	30	—
Erfordiae	30	70	—
Rostochio	25	60	—
Vismariae	15	30	—
Stralsundae	20	40	—

Luneburgae

(\*) Datt de pace publica p. 271.

Luneburgō 30 — — —

60 — — —

Paderbornae 10 — — —

20 — — —

et sic aliis ciuitatibus aliter (\*). Earundem fere ciuitatum mentio fit in *Matricula Ratisbonensi* c10CCCCLXXI. (\*\*) et *Norimbergensi* c10CCCCCLXXX (\*\*\*). In ista vero Stada, in hac Sulatum apparent. *Matricula Constantiensis*, quae expeditionem Romanam praecepit, Verdam, Herfordam, Gedanum, Elwangam adiungit (\*\*\*\*). In *Matricula Imperii moderata* c10C1C1XXI et c10C1C1XXVII. memorantur (\*\*\*\*\*) Brackel, Warburgum, Lemgouia, Thuringesheim, Duisburgum. Pato Norimbergensi anno c10C1XXXXII. inito subscripserunt *Leonhardus Metz Syndicus ciuitatis Magdeburgen sis*, *Dietericus Prutenus Secretarius*, nomine ciuitatis *Brunsuicensis*, *Goslariensis*, *Göttingensis*, *Eimbeccensis* (\*\*\*\*\*).

*Argenti signandi numerorum flandorum iure usae sunt ciuitates mediatae.* Multis vel Imperatores vel Principes id indulserunt: aliae fortasse praescriptione, quam vocant, immemoriali idem sibi vindicarunt. Lipsia, Rostochium, Luneburgum, Huxaria, Hannouera, Brunswiga, Göttinga, Minda, Hildesia, Osnabruqa, Magdeburgum, Monasterium, Stendalia, Stada, Stettinum, Stralsunda, Halberstadium, p[ro]p[ter]ea caeteris aureos argenteosque numos cudendos curauerunt (\*\*\*\*\*).

B 2

Verum

(\*) Lunigs Reichs-Archiv T. II. p. 86.

(\*\*) Lunig l. c. p. 102. 119.

(\*\*\*) Lunig l. c. p. 327.

(\*\*\*\*) Lunig T. IV. p. 481.

(\*\*\*\*\*\*) Dumont Corps Diplom. T. IV. P. II. p. 88.

(\*\*\*\*\*\*) Pfessinger Vitriar. illustrat. Lib. III. tit IV. 4.  
III. d. 9.



Verum enim vero ex quo potestas Principum maiora cepit incrementa, vrbibus mediatis iugum suscipere et ferre doctis, ius cudendi numos in omnibus fere vrbibus mediatis perii. Vismaria tamen, Rostochium, Luneburgum in hunc usque diem rudicula, numos cupreos cudunt. Luneburgum hoc etiam saeculo argenteos, sed paruo numero, signauit.

Bella gesserunt vrbes mediatae; quid? quod Principibus Dominisque suis arma intulerunt. Pomeraniae Ducibus et Principibus Rugiae Stralsunda, Mecklenburgicis Rostochium et Vismaria, Episcopis suis Hildesia, Brunsuicensibus Brunsuiga, Luneburgum Hannouera, Austriacis Vienna signa infesta intulerunt (\*). Ciuitates Venetae bello se immiscuerunt, quod anno 1557 inter Danos Holstosque gestum est: Vismaria bello Lubencensi aduersus Danos interfuit (\*\*). Luneburgum et Magdeburgum saeculi decimi septimi anno decimo quinto Brunsuicensibus aduersus Dacem FRIDERICUM VLRICVM submiserunt auxilia (\*\*\*)�

*Foedera percusserunt ciuitates mediatae.* Hansae Teutonicae ciuitates immediatae et mediatae magno numero nomen dederant. Anno 1547. ad foedus a multis Principibus Germaniae istum se applicuerunt Heidelberga, Oppenheimum, Marburgum nostrum, Aschaffenburgum, Binga, Moguntia, Andernacum, Boppardia

(\*) Struben l. c. l. 539. V. 361. 364. Schwarz Versuch einer Pommerisch-Rügischen Lehnshistorie p. 285. 1

(\*\*) Frank l. c. p. 216. 232.

(\*\*\*) Contingu Opera T. II. p. 970.

Boppardia, Bonna cert. (\*). Fuerunt vero huius foederis participes **SOPHIA** Landgravia Hassiae, Marburgi Domina, **GERHARDVS** et **CONRADVS** Archiepiscopi Moguntinus et Coloniensis. Nec contra leges ac consuetudinem Imperii egisse videbantur vrbes mediae, dum cum Principibus societatem inibant, siquidem ipse Rex **GWILFLMVS** foedus istud anno **ciccccliii.** confirmare haud dubitauit. Anno **cicccxci.** **ERICVS** Archiepiscopus Magdeburgensis, **SIFFRIDVS** Episcopus Hildesiensis, **OTTO** Marchio Brandenburgicus, **ALBERTVS** et **GWILFLMVS**, Duces Brunsvicensis, **OTTO** Comes Alcaniae et Princeps Anhaltinus in pacem iuratam receperunt ciuitatem Helmstadiensem (\*\*). Vrbes mediae Vismaria, Stralsunda, Rostochium, Grefwalda anno **cicccviii.** foedus inierunt aduersus quoscumque, ne Principibus quidem suis exceptis (\*\*\*) Pro conseruanda pace societatem inierunt **FLORENTIUS** Episcopus Monasteriensis, **HENRICVS** Episcopus Paderbornensi, **ENGELBERTVS** Comes Marcanus cum vrbibus mediatis Sosato. Monasterio, Osnabruqa, anno **cicccclxxiv.** (\*\*\*\*). Hildesi, Brunswiga, Hannoneira cum Episcopo Hildesiensi et Caminenisi foedus percesserunt anno **cicccccxxiv.** (\*\*\*\*\*). Triennio post Episcopus Hildesiensis, Dux Brunsvicensis, Comes Wernigerodanus cum ciuitatibus Goslariensi, Brun-

B 3

suicensi

(\*) Freheri Rer. Germ. T. I. p. 375. Leibnitii Cod. Diplom. T. II. p. 93.

(\*\*) Falke Tradit. Corbei. P. 930.

(\*\*\*) Rostockische Nachrichten anno 1753. p. 45.

(\*\*\*\*) de Ludewig Reiiqu. Mistor. T. X. p. 246. sq.

(\*\*\*\*\*) Rethmeyers Chronik P. 1854.

suicensi, Hildesiensi societatem inierant aduersus nobiles de Schwiceldt anno 1344 XXXVI. OTTO Comes Holsatiae et vrbs Hannouera (\*): triennio post E V I L E I L M V S Dux Brunsvicensis et vrbes Luneburgum, Hannouera, Hildesia: anno 1344 CLIV. Dux Brunsvicensis et Monasterium (\*\*) inerunt societatem. Anno 1344 CLXXII. iunxerunt amicitiam opemque mutuam spoponderunt aduersus iudicia Westphalica F R I D E R I C V S Palatinus, A L B E R T V S Austriacus, alii Principes et ciuitates tam immediatae quam mediaatae Friburgum, Brisacum, Nuenburgum cet. (\*\*\*) . Anno 1344 CLXXXIV. foedus coaluit inter multos Principes et vrbes Magdeburgum, Brunsvigam, Luneburgum, Hildesiam Gottingam, Stendalam, Hannoueram (\*\*\*\*). Magdeburgum anno 1344 XXVI foederi Torgauensi se adiunxit, et quinquennio post Smalkaldensi (\*\*\*\*\*). Tractatum etiam est cum sex primaris Lusatiae ciuitatis et cum Vratislauiensibus, ut paeti huius consortes esse velint (\*\*\*\*\*). Foederi autem nomen derur Brunsviga, Hannouera, Gottinga, Eimbecca, Minda (\*\*\*\*\*). Quid? quod saeculi praeteriti anno sexto E R N E S T V S Dux Brunsvicensis et vrbes Luneburgum

(\*) Ex Originali.

(\*\*) Rethmeyer l. c. p. 1857.

(\*\*\*) Iete fidei tessera seu litteris credentialibus Legato Brunsvicensi Conrado a Schwiceldt datis.

(\*\*\*\*) Leibnitii Cod. Dipl. T. I. p. 422.

(\*\*\*\*) Lunigii Spicileg. Eccles. Contin. I. p. 625.

(\*\*\*\*\*) Lunig P. Spec. Contin. 4. p. 653. Dumont Corps Diplom. T. IV. P. I. p. 457.

(\*\*\*\*\*\*) Seckendorf Histor. Luther. Lib. III. p. 3.

■ ■ ■

15

neburgum et Hildesia societatem inierunt (\*), et anno trigesimo secundo Dux FRIDERICVS VLRICVS Brunsvicensis atque Brunswiga et Luneburgum (\*\*).

*Sequestrae pacis fuerunt urbes mediatae.* Inter Danos et Dithmarios Luneburgum iuncto cum Lubecensibus et Hamburgensibus studio pacem conciliauit anno circ. 1290. (\*\*). Magdeburgum, Brunswiga, Luneburgum, Hildesia controversias inter Danos et Lubecenses composuerunt (\*\*\*\*) anno circ. 1334. Stralsunda anno circ. 1368, indicias inter Electorem Brandenburgicum et Duces Pomeraniae pepigit (\*\*\*\*).

*Pacem post belli vices fecerunt ciuitates mediatae.* Urbes Flandrenses cum PHILIPPO Galliae Rege anno 1305. (\*\*\*\*\*). Sarburgum cum HENRICO Comite Lutzelsteinensi anno 1308. (\*\*\*\*\*). Rostochium, Stralsunda, Luneburgum indicias pepigerunt anno 1341. cum prouincia Hollandia, Selania, Frisia. (\*\*\*\*\*). Rostochium cum Duce suo MAGNO (\*\*\*\*\*).

*Academias condiderunt, in easque iurisdictionem exercuerunt urbes mediatae.* Academiam Erfordensem magistratus

(\*) Hortleder T. I. p. 150.

(\*\*) Rethmeyer I. c. p. 631.

(\*\*\*) Pufendorf rer. Suecic. p. 61.

(\*\*\*\*) Weltphalen Monument ined. T. III. p. 177.

(\*\*\*\*\*) Weltphalen I. c.

(\*\*\*\*\*\*) Schwarz I. c. p. 601.

(\*\*\*\*\*\*) Dumont I. c. T. II. p. 339.

(\*\*\*\*\*\*) Histor. Acad. Theodoro Palat. T. I. p. 64.

magistratus urbis condidit potissimum (\*) Rostochiensis magistratus cum Ducibus Mecklenburgicis a Pontifice MARTINO impetravit, ut Academia Rostochiensis institueretur (\*\*). Ortis postea dissensionibus, eo res deuenit, ut magistratus ius omne in Academiam sibi tribueret (\*\*\*) donec tandem anno 1515LXIII. formula quaedam concordiae pangeretur (\*\*\*\*), qua dimidia pars professorum ex arbitrio magistratus urbani eligitur; huiusque alitur sumtibus: ex quo tempore magistratus urbanus Academiae Compatronus vocatus est, et reuera fuit. Nouissimi motus inter Duce Mecklenburgicum et magistratum Rostochensem hanc ob causam exorti ad hunc usque diem nondum refederunt. Senatus Luneburgensis anno 1544CLXXI a FREDERICO III. Imperatore licentiam obtinuit condendi Collegium Iuridicum, cuius Docttoribus publice legere, disputare, et bene meritos gradibus academicis exornare fas sit (\*\*\*\*\*).

*Exercueront ciuitates mediatae ius circa sacra: nonnullae hodiernum eius seruant vestigia.* Sub tempora repurgatorum sacrorum urbes mediatae magno numero praeter, nonnunquam et contra voluntatem Principum suorum cultu, religioso Romano-Catholico abrogato, Evangelica sacra inuixerunt. Fecerunt id Halberstadienses, Erfordienses, Rigenes, Mageburgenses, Goslarienses, Laubanenses, Dantiscani, Bruniuicenses, Mindenses, Monasterienses

(\*) Dumont T. III. P. I. p. 100.

(\*\*) Frank l. c. Lib. VIII. p. 240.

(\*\*\*) Pfeffinger ad Vitriarium Lib. IV. tit. IV. p. 720.

(\*\*\*\*) Franke Lib. VII. p. 176.

(\*\*\*\*\*) Franke Lib. IX. p. 256.

Monasterienses, Hannouerani, Hildesienses, Luneburgenses, Rostochienses, Vismarienses. Successu temporis plurimarum quidem ciuitatum iura anterioribus cancellis circumscripta sunt. Supersunt tamen iuris circa sacra a mediatis ciuitatibus usurpati haud contemnendae reliquiae. Osnabruga, iure Consistorii sacri a Magistratu pendentis gaudet, nec in rebus ecclesiasticis Episcopi sui reueretur auctoritatem. Eadem Stralfundae, Hildesiae, Brunsuigae ratio est, quarum urbis Consistorio Syndicus vel Consul praefest, quem excipit Superintendentens, quos Senatores nonnulli et Pastores primarii sequuntur. Urbes istae et praeterea Luneburgum pro iubitu Superintendentem vocant, et ministerio ecclesiastico urbis suea praeficiunt.

Sed abrumpenda est tela et properandum ad finem huius scriptioris. Valedicturi Musis nostris quatuor Alumi principales orationes, quas lex et consuetudo postulat, publice habebunt

IOANNES EISENBERG Archfelda-Hassius de doctrina de abnegatione christiana ciuitati minus noxia.

JOANNES GEORGIVS SCWARZENBERG Cassellis Hassius de cura in conseruanda valetudine.

CAROLVS GUILIELMVS BIPPART Nesselrode Hassius; de Poesi antiquissimo adiumento ad perfectionem hominis moralem promouendam.

C

Has

(\*) Franke Lib. X. p. 111.

(\*\*) Pfleffinger l. c. p. 723.

IVSTVS TILL Morscha. Hassius; *de Ludo-*  
*uico Barbato simpliciter toli.*

Has vi præsentia sua ornare velint MAGNIFI-  
CVS ACADEMIAE PRORECTOR, MA-  
GNIFICVS ac PERILLVSTRIS PROCAN-  
CELLARIVS, PROFESSORES OMNIVM ORDI-  
NV M CELEBERRIMI, CIVES ac COMMILITO-  
NES HONORATISSIMI, FAVTORES denique  
MVSARVM AMANTISSIMI, debito cultu atque  
obseruantia oro precorque. Marburgi d.

I. Octobr. anno CICICCLXXV.

X2338853

ULB Halle  
007 362 676

3



KDP



# Farbkarte #13



B.I.G.

Black

Ms. 235, f. 3a  
2  
1775, 1

DE  
CIVITATIBVS MEDIATIS  
IVRA STATVVM  
IMMEDIATORVM  
VSVRPANTIBVS

P. 114.

PROLVSIO HISTORICA  
QVA  
AD AVDIENDAS ORATIONES  
ALVMNORVM PRINCIPALIVM  
IO. EISSENBERG ARCHFELDA-HASSI  
IO. GE. SCHWARZENBERG CASSELLIS-HASSI  
CAR. GVIL. BIPPART NESSELRODA-HASSI  
IVSTI TILL MORSCHA-HASSI  
DIE V. OCTOBR. HORA X.  
IN AVDTORIO PHILOSOPHICO  
HABENDAS  
ACADEMIAE MAGISTRIVS, PROCERES,  
AC CIVES  
DEMISSE ATQVE HUMANITER INVITAT

MICHAEL. CONRAD. CVRTIVS  
SERENISS. HASS. LANDGR. A CONSIL.  
HISTOR. ELOQV. ET POES. PROF. ORD.

MARBURGI  
TYPIS MÜLLERIANIS.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE